



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Ortv Et Progressv Ac Viris Illvstribvs Ordinis
Gloriosissimæ Dei Genitricis, semper Virginis Mariæ de
monte Carmelo**

Trithemius, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1643

Cap. IV. Quando, & quemadmodum data sit Regula Fratibus in monte
Carmelo degentibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64495)

tia dicitur, qui vnus Dei fide & cultu coniungitur. Neque autem cæteris Ordinibus titulus *Elianus* conuenit; cui etsi conuersatio vitæ congruat, tamen nomen loci non concordat. Antiquissimus ergo omnium Ordinum in Ecclesia Dei Carmeliticus est, à quo cæteri Ordines principium & formam suæ institutionis acceperunt. Enimvero, quantum attinet ad auctoritatem veterum Scripturarum, *Mosis* instituti propositi princeps fuit *Elias* & discipuli eius: qui relictis urbibus sibi casulas circa Iordanis fluentia formã ac in deserto construxerunt. Huius sub gratia propositi primus *Baptista Ioannes* extitit, qui à teneris annis solitudinem deserti inhabitauit. Nec putes sanctos Prophetas Domini, boni solitudinis ignorasse magnitudinem, cum non fuerit minimus eorum, qui dixit: *Bonum est homini, cum portauerit iugum huius Domini ab adolescentia sua: sedebit solitarius, & tacebit; quia leuabit se supra se.* Sciebant viri sanctissimi diuino Spiritu illustrati solitariæ vitæ utilitatem: & ideo ante legislationem operibus impenderunt, quod demum sub regula constituti Carmelitæ pro posse imitantur. Et quamuis *ELIAS* Carmelitis regulam scriptam non dederit, eis tamen exemplo sanctæ conuersationis viuendi norma fuit, quibus post se & locum & habitum concessit.

Antiquiss-

sim^o oꝝum

Ordo Car.

Ab illo ca-

teri sua in-

stitutionis

formã ac-

ceperunt.

S. Isido. l. 2

de offi. c. 15

S. Ioã. Bap

sub gratia

Ord.

princeps.

Thren. 3.

CAPVT IV.

Quando & quemadmodum data sit Regula Fratribus in monte Carmelo degentibus.

Sancti etenim Patres, qui in monte Carmelo iuxta fontem *ELIÆ* ante Christi natiuitatem habitabant, Regulam conscriptam habuisse non leguntur; sed ipsi norma & regula sibi fuerant, qui exemplo *ELIÆ* concorditer viuebant. Deinde post Passionem Domini multiplicata per Iudæam fide Christiana, hi qui in monte Carmelo vitam imitatione *ELIÆ* ducebant Eremiticam,

Nota sin-

gularẽ ar-

tiquorum

Carmeli-

tarũ prae-

gatiuam,

B

secun-

A. 4.

secundum Euangelium Christi viuere cœperunt, sicut in Actibus Apostolorum scriptum est: *Erant unanimiter in oratione perseverantes, & erat illis cor unum & anima una: nec quisquam inter eos aliquid habebat proprium, sed erant eis omnia communia.* Hæc est vita Apostolica, quam Fratres Carmelitæ in primitiua Ecclesia studiosissime obseruabant, regulam super his Euangelicam in cordibus suis habentes conscriptam. Successu vero temporis, cum homines paulatim inciperent ab Apostolica vita recedere, & proprium sibi quisque possidere, timentes zelosi montis *Carmeli* habitatores, ne & ipsorum sancta conuersatio per successum temporis deficeret, de remedio in posterum cœperunt cogitare. Regulam ergo non propter se, sed posteritatem postulabant, scientes Ordinem suum iam deinceps non satis tutum existere, nisi per Regulam confirmetur. Et reuera, nisi hodie Carmelitæ approbatam haberent Regulam, nescio si subsisterent. Regula enim sola est, quæ Ordinem præcedentium posteritati commendat. Tempore pacis belli sumptus parandi sunt, ne aduersitas offendat imparatos. Nam si Fratres montis *Carmeli* non accepissent Regulam tempore pacis, ubi de Iudæa tandem per Saracenos expulsi manere potuissent? Anno igitur Domini MCCCII. sub Henrico & Calixto Papa II. *S. Brocardus* Prior montis *Carmeli* Regulam ab *Alberto* Hierosolymorum Patriarcha obtinuit, quam suæ posteritati obseruandam commendauit. Nec æstimandi sunt Fratres Carmelitæ eatenus irregulariter vixisse, qui ex sancta conuersatione consuetudinem in regulam commutarunt. Non enim necessaria est regula perfectis, sed infirmis.

*Regula
necessaria
Monachis.*

* * *

CAP. V.